

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0092

0090

0096

0086

0101

0081

0141

0041

0191

0591

1091

Ende

Anfang

81

Cumque locum purgavissimus, consedimus et reliquias ultimas de sacculis produximus et manducavimus. Major tamen pars p[ro]ae lassitudine statim, ut de asinis descenderunt, in terram se projecerunt, et nec comedere nec bibere nec loqui poterant, sed quiescere optabant. Circa fontem autem erat tumultuosa compressio tam hominum quam bestiarum pro aqua, pro qua etiam infirmi clamabant, quia omnes eramus sitibundi et fluxus fontis exiguus, et multa litigia fuerunt ibi exorta inter nos et Sarracenos, quia ipsi stabant ante cannam et sicut vaccae bibeant, at nobis dare locum nolebant. Finita autem qualicumque commestione et potatione lumina extinximus (212 A) omnia et dormire incepimus in humo super lapides et magno ac gravi sopore oppressi sumus. Sicut enim esurie dicitur bonus coccus, quia omnem cibum bene sapere facit; sic labor dicitur esse bonus lectus, quia omnem locum dormitioni et quieti facit aptum. Fuit enim periculoso dormire in loco isto, primo propter murum ruinosum, de quo lapides resoluti a caemento dependebant super capita nostra, ruinam minantes; secundo propter serpentes et scorpiones, qui in antiquis muris et sub lapidibus latitant, praecipue in locis, ubi aqua prope est; tertio propter pediculos ovium, asinorum et aliarum bestiarum, et praecipue propter quosdam vermiculos, quos nominant pediculos Pharaonis, quorum multitudo in humo deserti decurrit, ut patebit fol. 247, qui etiam hic in terra serpebant; quarto propter duritiem stratus; et quinto propter fures Sarracenos, qui comitabantur nobiscum. His tamen omnibus non obstantibus omnibus curis remotis fortissime dormivimus. Dixerunt autem nobis ductores nostri, quod ante diluculum vellent nos excitare; sed aliter accidit, quia et ipsi fessi erant, sicut nos, quamvis non tantum laboraverint, et tam ipsi quam nos dormivimus usque ad ascensum solis. Juxta hunc fontem refocillatus fuit David, cum lassus venisset de Jerusalem cum suis, ut dicitur 2 Reg. 17.